1430. 1 Septembris

Wladislaus rex Poloniae etc.

1430 r.

N° 2

Władysław

Wladiſlaus dei gracia Rex Polonie Lytwanieque princeps ſupremus et heres Ruſſie etc. Significamus tenore preſencium
quibus expedit vniuerſis quomodo cupientes Ciuitatum noſtrarum Cracouie et fflorencie alias Clepaer condicionem
facere meliorem ipſiusque penurie et defectibus miſericorditer ſubuenire ut noſtris ſuffulte munificencijs ſub noſtro
felici regimine vberius reſpirare valeant et felicia recipere incrementa omnibus et ſingulis earundem noſtrarum
Cracouie et fflorencie Ciuitatum Carnificibus inhabitantes eaſdem Boues tot et tantos quot in eorum Macellis
poterint et eis ſufficient ad mactare extra Regnum quoque non pellandos ad quod Conſules prout de ipſis
confidimus fideliter tenebuntur aſpicere ne per quempiam ipſorum conueniantur in excluſam conſciencias
oneramus eorundem de terris noſtris Ruſſie puta Premiſlien Jaroſlauien Janouien directo tramite vſque
Cracouiam et fflorencie per Rzeſchow Robſchicze Croſno et conſequenter per loca conſueta non declinando
Sandomiriam ſecure et ſine quouis impedimento ac arreſto pellandi et cum eiſdem proficiſcendi plenam
damus et omnimodam preſentibus concedimus libertatem ad noſtre dumtaxat beneplacitum voluntatis
ſolutis tamen noſtris Theoloneis in Robſchicze et alias vbilibet per ipſos ſolui ſolitis et conſuetis ab inſolitis
et de nouo exquiſitis Theoloneis et ſolucionibus ſiquibus opprimi valerent et grauari eos redimentes
et omnino libertantes Vobis igitur vniuerſis et ſingulis Regni noſtri et terrarum Ruſſie Capitaneis Burgra
bijs Tenutarijs Woyewodis Procuratoribus Viceprocuratoribus Aduocatis Conſulibus Theolonarijs
paſſuum locorum ac cuſtodibus eorumque vicesgerentibus preſentibus requirendis noſtris firmis damus
Regalibus in mandatis omnino habere volentes quatenus prefatos Carnifices noſtros circa hanc quam ipſis
conceſſimus libertatem conſeruare debeatis in contrarium nichil penitus attemptantes nec eos ad aliqua
theolonia ſiue ſoluciones indebitas et inconſwetas trahere et arreſtare preſumentes noſtre gracie ſub optentu
quouſque aliud a nobis habueritis in mandatis. Harum quibus Sigillum noſtrum appenſum eſt teſtimonio
literarum Datum in Noua Ciuitate Korczin ipſo die ſancti Egidij Anno domini Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo